CHRIST[illegible] Autor,
[illegible]rum,
Dum [illegible] eius esto
[illegible] liber!

1.

Notandum ex hoc libro
de Melanchtone pag. -- 215
quod sit Sacramentarius
de Brentio quod jis etiam
in nonnullis faveret 220.

D. O. M. A. E. C.

Disputatio VIII.

COLLEGII CORPORIS DOctrinæ Prutenicarum Ecclesiarum,

DE PECCATO ORIGINALI,

SUB PRÆSIDIO

COELESTINI MISLENtæ, SS. Th. D. eiusdem, ut & Hebr. lingvæ Profess. Ordinar. Consistorii Sambiens. assessoris.

RESPONDENTE

GREGORIO BLUM Brandeburg. March.

Publicè in Auditorio majori 16. Novemb. habenda.

REGIOMONTI,

Typis Laurentii Segebadii, Anno 1624.

VIRIS

Clariſsimo, Excellentiſs. atq; Experientiſsimo,

Dn. GEORGIO LOTHO MEDICinæ Doctori Eximio, ut & ejusdem in Academiâ Regiomontanâ Profeſſori Primario.

NEC NON

Ampliſsimo, Conſultiſs. Eruditione, autoritate, rerumq; uſu eminentiſsimo,

Dn. MICHAELI ADERSPACH, invictiſſimi Regis Polon. & Sueciæ, Factori, & Sereniſſ. Electoris Brandeburg. &c. in Aulâ Prutenicâ, Secretario laudatiſſimo.

Ut &

Spectatiſsimo, Prudentiſsimo, & Integerrimo,

Dn. THOMÆ JENCKEN Reipub. Palæopolit. in Regio. Boruſſorum monte Civi ac Mercatori primario, itidemq; S. R. in Polonia & Suecia Majeſtatis Factori fideliſſimo.

Dominis Evergetis, Patronis, ac Promotoribus ſuis, devoto animi cultu perpetim proſequendis,

γύμνασμα hoc Theologicum ſubmiſſè & officioſè nuncupat & conſecrat.

Gregorius Blum Respon

Disputatio VIII.

De Peccato Originali.

Respondente Gregorio Blum Brandeburg: March:

Cum per Legem, fit agnitio peccati Rom. 3. v. 20. non tantùm actualis; verùm etiam Originalis Rom. 7. v. 7. ultrò jam patescit, quo ordine articulum, de peccato Originali, tractationi de Lege (ut & de Evangelio) subjunxerint autores libelli nostri Prutenici. Siquidem magnitudo hujus peccati non facilè æstimaretur, nisi acrimonia concionis Legalis adhiberetur. Ad evidentiorem ergò peccati originalis noticiam; præmittenda necessariò erat doctrinæ de Lege; quam rectè excepit doctrina de peccato.

Cœterùm quia articuli de *peccato Originali*; ut & de *Libero Arbitrio*, arctissimo co-

hærent vinculo: quandoquidem culpa Originalis secum comitem induxit ἄφυκτον tùm carentiam, vel privationem boni Originalis concreati; tùm corruptionem omnium viriũ humanarum; non solùm inferiorum; verùm etiam superiorum adeoq; intellectus, & voluntatis: Utiq; unius articuli consideratio feliciter vix expediri poterit; altero ab oculis procul semoto, vel posthabito: ac proinde unâ eademq; fideliâ geminum, quod dicitur, parietem dealbandum duxêre autores nostri, simul & semel pertractando tùm articulum de peccato Originali; tùm de Libero Arbitrio.

Nobis tamen consultius visum est de utroq; loco, sigillatim agere, præsuppositâ priore loco de peccato Originali διασκέψει præsenti Disputatione; subsequente verò de Libero Arbitrio.

I. De Sede Huius articuli.

Desumtus, ac repetitus est hic articulus ex August. *Confess. artic.* 2. qui sic habet: *Item* (Ecclesiæ magno consensu apud nos) *docent, quod post lapsum Adæ omnes homines, secundum naturam propagati, nascantur cum peccato, h. e. sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, & cum concupiscentia: quòdq; hic morbus, seu vitium Originis, verè sit peccatum, damnans, & afferens nunc*

quoq;

quoq; æternam mortem, his, qui non renascuntur per Baptismum & Spiritum Sanctum. Damnant *Pelagianos & alios, qui vitium* Originis *negant esse peccatum, & ut extenuent gloriam meriti, & beneficiorum Christi, disputant, hominem propriis viribus rationis, coram Deo justificari posse.* Pluribus explicatur hic articulus, in Apologiâ: ubi potissimùm descriptio peccati Originalis, in Confessione tradita, solidè explicatur, & contra Pontificios defenditur.

Repetitus etiam, ac desumtus est, ex tertiâ parte *Articulorum Smalcaldic.* B. *Lutheri*; ubi Primus artic. de peccato sic habet: *Hic confitendum nobis est*, ut Paulus Rom. 5. affirmat, *peccatum ab uno homine Adamo ortum esse, & introiisse in mundum; per cujus inobedientiam, omnes homines facti sunt peccatores, morti, &* Diabolo *obnoxij.* Hoc *nominatur Originale; hæreditarium; principale & capitale peccatum &c.*

Et post: Hoc *peccatum hæreditarium, tam profunda & tetra est corruptio naturæ, ut nullius hominis ratione intelligi posit: Sed ex scripturæ patefactione, agnoscenda, & credenda sit.* Ps. 51. Rom. 5. Exod. 33. Gen. 3. Quapropter *merè sunt errores, & caligines, contra hunc articulum, Scholasticorum doctorum dogmata, quibus docetur: post Adæ lapsum, hominis naturales vires mansisse integras, & incorruptas, & Hominem naturaliter habere rationem rectam, & bonam voluntatem* sicut Philosophi docent, &c. plur. ibid. *Talia*

& similia portenta orta sunt ex inscitia, & ignorantia peccati, & Christi servatoris nostri, suntq; verè & merè Ethnica dogmata, quæ tolerare non possumus. &c.

II. SVMMA ARTICVLI de pecc. Originali, prout in Libello nostro pertractatur.

Præmittitur ab initio hujus loci, commendatio *articuli* de *peccato Origin.* à summâ *dignitate*, ingenti *utilitate*, & arduâ *necessitate*. *Deinde* recensentur errores in hunc articulum impingentes, tùm *antiquiores* ac consopiti ut sunt *Pelagianorum*, *Papistarum*, & *Anabaptistarum* &c. tùm *recentiores*, ac circa illud tempus excitati, & oborti, inprimis vero *Synergistarum*, concedentium quidem; humanam naturam per Lapsum Adæ miserè esse depravatam; negantium verò, omnes vires, & facultates, in negotio insuper conversionis nostræ prorsus extinctas, & amissas esse, ut conversionem nō necesse sit in solidum esse proprium solius Spiritus S. opus; sed initium ejusdem à naturalibus viribus nostris profectum; postea à Spiritu S. adjuvari, ut perficiatur; utq; adeò vera conversio efficiatur *partim* ex nostris naturalibus viribus; *partim* ex operatione Spiritus S. Producitur *postmodum* hujus Erroris Synergistici fundamentum: quòd homo, etiam post lapsum, non sit vel lapis, vel

35.

36.

truncus

truncus, sed habeat adhuc in mente intellectum, & in voluntate inclinationem, ut objectum ab intellectu monstratum, possit vel eligere; vel repudiare; vel expetere; vel rejicere, aut actionem suspendere. *Insuper* origo, ac πρῶτον ψεῦδος Erroris detegitur, ac monstratur, quòd ex scholâ & officinâ *Pelagianorum* prodierit: quippe solitorum conversionem partiri *inter Gratiam* Dei, & *inter vires humanas*: ut *aliquid* homo *ex se*; *aliquid*, *Gratia* Dei efficeret in conversione. Id quod ex Confessione *Pelagii* apud Augustinum multoties evincitur. *Tertiò* Status Controversiæ legitimus formatur, *initiò* quidem de *peccato Originali*; quid *illud propriè* sit, num *substantia*, an verò *accidens*? in *quibus consistat*? *quænam ipsius sint* caussæ? qui *Effectus*? 36. 37.

Et hæc quidem pertinent ad peccati Originalis propriam considerationem, reliqua, quæ sequuntur, pertinent ad locum *de Libero Arbit.* in subsequ. Disputatione.

III. Exegesis Theseos de Peccato Originali.

In explicatione theseos expendenda nobis veniunt sequentia: 1. πῶς ἢ ποσάκις λέγεται ἢ κατηγορεῖται h. e. *Definitio nominalis*. 2. εἰ ἐστι: *an sit peccatum Originale*: *& quæ sit sedes, in sacris, hujus articuli*? 3. τί ἐστι, *quid*

sit & quænam genuina sit peccati Originalis descriptio? 4. τὸ διότι, πόθεν ἐςι, καὶ τὸ ὑποκείμενον, quænam peccati *Originalis sint caussæ?* 5. τὰ πάθη, *Propriæ peccati affectiones, & effectiones?*

De Primo.

§. 1. Peccatum derivatur à pecco: unde hoc autem originem trahat, autores inter se dissentiunt. *Isidorus* pecco idem esse vult, ac cum pellice coëo *l.* 10. *Etymol.* *Tullius in Paradoxis* peccare idem esse vult, ac lineas transilire. *Quidam* peccare Latinis idem esse ajunt, ac *pecicare* vel *pecucare*, sive *pecudicare*, à pecudibus, ut idem sit peccare, ac pecudis modo lineas transilire, quas Deus homini circumscripserat. Hinc apud Veteres pecudius, & pecudiarius, h. e. homo præceps.

§. 2. Originale vocatur, non 1. ob originem *Creationis.* 2. nec ob originem *humanæ naturæ*, hæc enim ab initio creata fuit sancta & justa. Sed 1. ob *propagationem* ab *Adamo* in posteros. 2. ob *Subjectum*, quod est universum genus humanum, à conceptionis primâ origine, tali peccato infectum; cum eoq; hunc in mundum natum. 3. ob *Effectum*, quia ex hoc peccato reliqua ceu ex origine, & fonte promanant. Ubi observationis loco, duo notanda theoremata:

1. *Peccatum originale cæpit sic vocari, tempor*

pore Auguſtini. Siquidem ipſius tempore, certamen de peccato Originali motum erat, à *Pelagio, & Pelagianis*, ad quos convincendos *B. Auguſtin.* termino Originalis uti neceſſum habuit; ut eò felicius obviam iret *Pelegianis*, aliquod peccatum nobis *connaturale* ab Adamo propagatum negantibus, ſed potius per *imitationem*, ad nos, derivatum eſſe contendentibus.

2. *Appellatio hæc non eſt ſcripturæ, ſed Eccleſiæ: fundamentum tamen appellationis deſumitur ex ſcriptura.* Sunt enim plurima in ſcripturis, & non dicuntur, monente *Nazianz.* v. g. *Trinitas*, ὁμοȣσία Filii Dei cum Deo Patre; *proceßio* Spiritus S. à Filio æquè ac à Patre; *Satisfactio* pro peccatis totius mundi; *ſola fide* nos juſtificari; *pædobaptiſmus*; θεοτόκος, ut & peccatum *Originale*; uti infrà evincetur.

§. 3. Variis autem peccatum Originale effertur nominibus *partim* in Scriptura V. & N. Teſtam. *partim* in ſcriptis *Patrum*; *partim* in ſcriptis *Scholaſticorum*; *partim* deniq; ex uſu Eccleſiæ; quæ brevitatis ſtudio præterimus: videatur *Dn. Chemnic.* L. C. d. pecc. origin. m. f. 223. *Dn. Meiſner.* decad. 1. Anthropolog. diſp. 5. Q. 1. *Flac.* part. 2. Clav. ſcript. tract. 6. d. pecc. origin. & alii. p. m. 636.

De Secundo.

§. 1. Quemadmodum quilibet Fidei ar-

ticulus: ita de Peccato Originali, propriam, & genuinam, in scripturâ f. sedem agnoscat oportet; idq; tùm in V. tùm in Novo Testamento.

§. 2. *Dicta* V. T. peccatum Originale evincunt partim *directè*, partim *indirectè*.

§. 3. Directè quidem, ubi diserta fit peccati originalis mentio, v. g.

1. *Ps.* 51. *v.* 7. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ubi duo probè sunt observanda: 1. de quolibet nostrum posse dici, quod in proprio peccato concipiamur, & nascamur, exemplô *Davidis*. 2. peccatum illud non esse *actuale*, tale enim non cadit in infantes. E. erit *Originale*.

2. *Iob.* 14. *v.* 4. (vel juxta Hebræorum partit. c. 13. v. 31.) *Quis dabit mundum de immundo? ne unus quidem.* Tria hic notanda erunt 1. Universalitas *subjecti* immundi 2. ipsa *immundities* non corporalis, sed *spiritualis*; utpote ob quam, ad tribunal Dei sistamur rei, *vers. præced.* quæq; sit perpetuâ in hac vitâ 3. immundities *spiritualis*, non tàm *actualis*; quàm *Originalis*, cui omnes homines tàm adulti, quàm infantes subjaceant. Describitur igitur prima hominis origo ut *Ps.* 51. *v.* 7. Id quod agnovit Rabb. Ab. Ezra super hunc l. sic scribens: ענינו כענין הן בעון חוללתי h. e. *sensus hujus dicti est ut sensus illius: Ecce in iniquitatibus conceptus sum.*

3. Gen.

3. *Gen.* c. 8. v. 21. quia *figmentum cordis humani est malum à pueritia, sua*, vel *ab infantia sua.* Vicissim notand. 1. mentione cordis humani indefinitè innui *universi* generis humani cõplexum quoad potentiam intellectus & voluntatis: 2. mentione figmenti mali denotari *peccatum*: 3. peccatum hocce determinari *duratione*, non modò in *adultiori*, & provectiori ætate, sed in ætate *infantili.*

§. 4. Nam quod נער significet infantem Hebræis, probari poterit, *Exod.* 2. v. 6. *Gen.* 21. v. 17. c. 25. v. 27. *Iudic.* 13. v. 8. Quibus in locis נער idem est ac ילד puer recens natus, uti Græcis βρέφος ac infans. Ergò necessarió intelligendum erit peccatum Originale.

§. 5. Similis forma loquendi occurrit *Ierem.* 32. v. 30. Nec alio sensu Judæi verba apud *Mosen* interpretantur, quàm de peccato Originali; vid. *Rabb. Iuda* lib. cui titulus *Keli Iakar* (organon pretiosum) *super* c. 3. Gen. *Caphtor.* *Rabb. Bachai. R. Kimchi super Esa.* c. 43. *Primus*, inquit, *Pater est Adam, per quem peccatum Naturæ implantatum fuit.* Iuxta *dict. Gen.* Hinc etiam figmentum malum per naturam corruptam explicat *Ian. Drus. in præter.* p. 8. *ex libro Musar sive institut.* Simili sensu terminum יצר de peccato Originali explicat *Elias Levita* in suo Thisbi his verbis: יצר הוא לשון מחשבה ותאות הלב ועל הרוב הוא לרעה h. e. *Vox jezer importat cogitationem, & Concupiscentiam cordis*

(maximâ

ex parte malam vel) *in malam partem.* Et quantumvis ibidem addat, vocem istam in bonam capi partem: è vestigio tamen subdit, ejusmodi significationem non amplius extare, præsertim in codice sacro; usurpari verò ita à *suis Rabinis, à Targumistis,* & commentatoribus super *Psalmos & Ecclesiastem.*

4. *Esa. c.* 48. *v.* 8. Transgressorem ab utero vocavi te: non ob peccata actualia. E. ob *originale.*

§. 6. *Indirectè, & secundariò* peccatum originale evincunt sequentia: nimir.

1. *Gen.* 5. *v.* 3. *Adam genuit filium ad imaginem suam;* quæ opponitur imagini divinæ. Uti autem hæc consistebat in *integritate* naturæ, omniumq; virium, tam superiorum quàm inferiorum; Ita illa (ad quam Adam genuit) consistit in *corruptione* Naturæ, omniumque virium naturalium, superiorum, & inferiorum.

2. *Gen. c.* 6. *v.* 5. *Omne figmentum cogitationum cordis ejus est tantùm malum omnibus diebus.* *Primariò* aphorismus hic loquitur de peccatis *actualibus* ex v. 11. 12. 13. Ergò secundario aget de *Originali.* Quibus adde *Ps.* 14. *v.* 2. 3. & 53. *v.* 3. 4. *Ps.* 19. *v.* 13. *Ps.* 90. *v.* 8. *Ps.* 116. *v.* 11. *Ierem.* 17. *v.* 9.

§ 7. *Dicta* quoq; *Novi Testamenti* Peccatum Originale partim *directè, partim indirectè* evincunt.

8. Dire-

§. 8. Directè probant sequentia: I. *Ioh.* 3. *v.* 6. Quod *natum est ex carne caro est.* Nomine *Carnis* Christus intelligit naturam humanam corruptam, vel peccato *Originis* depravatam 1. *quia* indiget regeneratione v. 5. 2. *quia* alibi explicatur per θέλημα σαρκὸς Joh. 1. v. 13. per φρόνημα σαρκὸς Rom. 8. v. 6. 3. *quia* adversatur Spiritus sensui, *ibid.* ac concupiscit adversus Spiritum *Gal.* 5. v. 17. 4. *quia* iræ Dei est obnoxia *Ioh.* 3. v. 36.

II. *Rom.* 5. *v.* 12. & 14. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: & sic in omnes homines mors pervasit; quatenus omnes peccarunt: Imò regnavit mors in eos quoq;, qui non peccarant ad similitudinem Adæ.* vide egregiam dicti hujus explicat. *Decad.* 1. *Anthropol.* Dn. *Meisn.* *Disp.* V. q. 3. th. 19. & 20. ubi 11. argumentis exinde Peccatum Originale demonstrat.

III. *Ephes.* 2. *v.* 3. *Eramus naturâ filii iræ, sicut & cœteri.* Qui igitur nascuntur filii iræ naturâ; nascuntur in *peccato*: ira quippe Dei presupponit culpam & reatum. Jam verò omnes homines naturâ nascuntur filii iræ; Ergò omnes nascuntur in peccato: non in *actuali*: Ergò *originali.* IV. Joh. 1. v. 29.

V. *Rom.* 7. *v.* 7. 14. *seqq.* *usq;* *ad fin.* VI. *Heb.* 12. *v.* 1. VII. 1. *Ioh.* 1. *v.* 8. *Iacob.* 1. *v.* 14. 5. c. 4. *v.* 5.

Indirectè & secundariò de peccato originali hæc sequentia agunt.

1. *Matth.*

1. Matth. 7. v. 18. *Arbor mala non potest edere fructus bonos.*

2. 2. Cor. 5. v. 15. *Si unus pro omnibus mortuus est. E, omnes mortui sunt.*

De Tertio.

§. 1. Quidnam peccatum Originale sit; non facilè depromi potest. Expertus id est ipsemet B. *Augustin.* qui ante sua tempora nullam peccati hujus definitionem vel descriptionem apud Patres deprehendere potuit. Omnes enim circa *tres* quæstiones occupabantur. 1. *Num sit peccatum* Originale? 2. *Vnde sit?* & 3. *quinam ejus Effectus?* Idcirco de 4. quæstione solus post omnes cœpit cogitare B. *Augustinus*, *Quid nimirum sit peccatum Originale?*

2. Describit verò idipsum per *Concupiscentiam*; quam etiam Hugo subsequentibus temporibus circa A. 1120. suam fecit. Plures alias *Patrum* descriptiones prolixè enumerat Dn. *Chemnit. part.* 1. *L. C. de pecc. Origin. c.* 3. *Memb.* 3. *f.* 228.

3. Apud modernos Theologos variè quoque occurrunt hujus peccati definitiones: autores libelli nostri sic definiunt. *Peccatum Originale non est substantia aliqua à Deo creata: sed est horribile venenum, per quod Creatura Dei in nobis, in corpore, & anima depravata, & ad Satanam*

nam aversa, inimicitia facta est adversus Deum. Rom. 5. & 8.

4. Quæ potiùs est thesis orthodoxa, sententiæ *Flacij* opposita, quam definitio, aut plenaria descriptio. Plenior descriptio poterit hæc esse. *Peccatum Originale est ἀταξία sive pravitas intellectus, voluntatis, & appetitus, per carnalem generationem ab Adamo, universo generi humano implantata; ac imagini divinæ opposita; secum trahens reatum iræ Dei, & damnationis æternæ.*

5. Peccatum originale ut non est *directè, & per se* in prædicamento; ita perfectæ definitionis capax esse non potest; qualicunq; igitur descriptione nos esse contentos oportebit. Reductione verò peccati hujus ad *primam speciem Qualitatis* factâ in morem Entium privativorum; definiendum erat mentione habitus; h. e. imaginis primævæ concreatæ; cujus est privatio: ita monente *Philosoph. l. 6. Metaphys. c. 7. & l. 6. Topic. c. 4.* nec non *Averr.* super 1. *Poster. in proœm. & Zabarell. l. 2. de proposit. necess. c. 17.*

6. *Præterea* legitimam hanc esse descriptionem, evincit ejusdem reciprocatio cum suo definito, peccato Originali. Nam quæcunq; Naturam peccati Originalis, ejusq; affectiones concernunt; ea in hac definitione expressa deprehendentur. 1. *quidem* στέρησις *privatio* imaginis divinæ. 2. θέσις, mali con-

trarii

erarii positio, vel *succeßio*, mentione ἀταξίας, pravitatis, aliàs concupiscentiæ dictæ; Quò pertinent omnes habitus mali imagini Divinæ *privativè & positivè* oppositi: v. g. *cæcitas* intellectus; *aversio* voluntatis; *inordinatio appetitus*: *& repugnantia* omnium virium. 3. *Reatus*. 4. *subjectum* quod est Universum Genus Humanum: & 5. deniq; *Modus traductionis*.

De Quarto.

§. 1. Quatuor vulgò caussarum genera, ad rei alicujus constitutionem, & naturam, requiri consueverunt: *Efficiens*, *Finis*, *Materia*, *& Forma*: quoad quidem Entia creata, materialia perfecta, ac completa: *postmodùm* ad accidentia *positiva*; sed tamen non nisi per *analogiam* quandam ex parte; *Vltimò* ad accidentia *privativa*, non nisi plerumq; per καταχρῆσιν. Hoc pacto ordinem causarum circa peccatum Originale contemplabimur:

§. 2. *Efficiens* (vel potius *Deficiens* monente B. *Augustin. l. 12. d. C. D. c. 7. & Dionysio de divinis nominibus*) peccati originalis est vel *Remota* vel *propinqua*:

§. 3. *Romota*, primi Parentes perpetrato lapsu ceu primo peccato. Siquidem una eademq; Voluntas Adæ, & Evæ sese avertens à mandato Dei in lapsu primo est simul caussa *Efficiens* peccati Originalis in omnibus hominibus *Rom. 5. v. 12.* De qua *Theoremata*.

1. Volun-

1. *Voluntas, & Lapsus Protoplastorum est Efficiens Peccati originalis merito, & imputatione.* Solet caussa efficiens illa quoq; vocari, quæ aliquid *meretur*: sic quia Protoplastæ tùm sibi, tùm posteris meriti sunt illam Naturæ pravitatem (unà cum reatu) quæ secuta est lapsum Adæ: adeò ut quales ipsi erant post lapsum corpore, & animâ; tales etiam procrearentur omnes eorum posteri: utiq; hanc ob rem caussæ Efficientis nomine meritò veniunt.

2. *Quod Adamo erat in lapsu Personale; nobis factum est, Naturale.*

§. 4. *Propinqua Efficiens* causa est *habitans in* carne singulorum parentum, qui generant, peccatum: de qua *Axioma*:

Peccatum Originale à parentibus in liberos, propagatione carnali, cum contagio conjuncta, transmittitur per traducem Ps. 51. v. 7. Iob. 14. vers. 4.

§. 5. Dupliciter peccatū Originis propagatur: primò per modum *culpæ, & imputationis*; Erant quippe omnes Adæ posteri in ipsius lumbis: utiq; actus ille apostasiæ illis est à Deo imputatus, uti anteà dictum. *Deinde* per modum *generationis*: Siquidem homo generat hominem corpore, & animâ rationali præditum, vigore benedictionis divinæ: Quapropter propagat unà cum animâ ipsum simul peccatum.

Q §. 6. Fi-

§. 6. *Finis* peccati uti in *genere*; ita *Originalis* nullus propriè datur: finis enim & bonum (quale nullum est peccatum) convertuntur. Nominari tamen ex scripturâ aliquâ ratione poterit. Rom, c. 5. v. 12. *seq.* c. 6. v. 23. mors *temporalis & æterna*. Sicut enim imago concreata erat homini ad vitam æternam: Ita peccatum imagini illi succedens est ad interitum, & mortem æternam, vi oppositorum.

§. 7. *Materia* peccati Originis ex quâ non datur: in *quâ* est *subjectum* quale heîc *triplex* occurrit 1. *Subjectum inhæsionis principale*, estq; ipsa *anima humana*, quoad *intellectum, & voluntatem* (imò etiam quoad inferiores facultates) Ratio 1. *quia* habitus cum privatione pertinet ad idem subjectum: Uti igitur Imago Dei ceu habitus erat in animâ ante lapsum: Ita peccatum Origin. ceu privatio in eodem erit subjecto. 2. *quia* omne, quod habet rationem virtutis & vitii, propriè non potest esse, nisi in animâ principaliter.

2. Subjectum *Organicum* vel *instrumental* peccati Origin. est *Corpus* humanum, id quod evincit mors, cui corpus est obnoxium propter peccatum. Rom. 8. v. 10.

3. Subjectum *adæquatum* vel *totale* est Homo *totus in corpore & animâ*, nec non singulis tum *membris*; tum *potentiis*. Quo sensu dixit B. *Augustin: Peccatum Originis esse in Homine, i*

Natu

Naturâ, & *in maßâ humanâ vid.* Rom. 3. v. 13. 15. 1. Pet. 1. v. 22. unde homo dicitur ψυχικὸς 1. Cor. 2. v. 14.

§ 8. Formale (vel Forma) peccati originalis *duplex* est:

Primò Absolutum in categoriâ *Qualitatis*: ac est deformitas ac defectus rectitudinis aberrans à lege Dei. Notentur *Theoremata*:

1. *Formale peccati absolutum neq; est infusum, neq; imitatione acquisitum; sed naturale vel congenitum omnibus Adæ & Evæ posteris.*

2. *Formale Absolutum* pecc. orig. *fundatur in privatione & defectu boni respectu* Naturæ, & *in positione mali* Naturam *depravantis*; quod est *concupiscentia* Rom. 7. v. 7. & 14. *Gal.* 5. v. 17. *seq.*

3. *Formale absolutum* pecc. Originalis *hac in vitâ est durabile, ac perpetuum.* Incipit quidem in baptismo mortificari & sanari, non autem omninò tollitur: manent enim morbi, ut defectus ac concupiscentia in renatis Rom. 7. v. 14. *sequ.*

Deinde Relatum estq; *reatus peccati*, & *personæ* peccato infectæ. *Theoremata*: 1. *Formale Relatum, seu reatus fundatur in privatione, vel in impotentia Relativa respectu* Dei. Siquidem privatio respectu Dei est ruptura vinculi amoris divini, quo nos Deus ceu liberos carissimos complectebatur ante lapsum: post lapsum verò amorem illum Dei abalienavimus, concitatâ in nos irâ Dei justissimâ, pœnisq; temporalibus & æternis Rom. 5. v. 12.

2. *Formale peccati Relatum tollitur in Baptismo plenariâ remißione.* H. e. Peccatum in baptismo tollitur, non ut non insit, sed ut non imputetur, ut ait B. *Augustinus.*

De Quinto.

Affectiones peccati Originalis sunt hæ sequentes potissimæ:

I. *Peccatum Originale humanæ rationi est penitùs absconditum.* Rom. 7. v. 7. Concupiscentia demum ex lege cognoscitur. Hinc vocatur *occultum* Psl. 19. v. 13. & 90. v. 8.

II. *Peccatum Originale est Accidens privativum & positivum.*

Tria hoc theoremate innuuntur. *Primò* quod Peccatum Originale sit *accidens*: non enim per se subsistit; sed subjectivè inest Naturæ humanæ: non quâ talis, sed quà corrupta: adeoq; non ante, sed post lapsum. E. substantia esse nequit: plura argumenta aliunde petantur. *Deinde* quod sit accidens *privativum*: successit namq; imagini divinæ per lapsum deperditæ; ac consistit in *carentiâ ejusdem.* *Tertiò* quod sit simul *accidens positivum*, quia non tantùm *privativè*; verum etiam *contrariè* opponitur justitiæ originali (instar vitii cujuslibet quod habitum cum privatione conjunctum includit) E. etiam positivum quid erit, siquidem contrarietatis utrumq;

men

membrum est positivum; sicuti contradictionis, & privationis alterum membrum semper est negativum. *Adhæc* in peccato est privatio non solum *actualis*; sed etiam *potentialis*, includens dispositionem, & inclinationem ad malum. Huc igitur propriè pertinet *concupiscentia*, quæ complectitur 1. *carnalem* securitatem 2. Dei *contemtum* 3. *odium* judicii divini 4. *iram* adversus Deum 5. *Desperationem* de Gratia Dei 6. *fiduciam* rerum præsentium. *Breviter*, *Concupiscentia est prava inclinatio, aversio, contumacia in mente, voluntate, & corde.*

III. *Peccatum Originale est homini Naturale, & præternaturale.*

Naturale quidem 1. non *constitutivè* 2. nec *consecutivè*; *sed propagativè*, quia simul cum subjecto nascitur instar morbi. *Præternaturale* verò 1. quatenus opponitur Naturali *constitutivo, & consecutivo* 2. quatenus est *privatio totalis*: hæc enim est præter naturam: quippe tollens dispositiones pertinentes ad eos actꝰ, quibus Natura perficiebatur in statu ante lapsum. Quicquid namq; est contra perfectionem Naturæ; id etiam est præter Naturam. Quod autem ab aliquibus dicitur *Voluntarium*, id intelligendum erit 1. ratione *Originis*; quia ex voluntate pravâ profectum: 2. ratione *subjecti*, quia inest voluntati humanæ 3. ratione *actus secundi*, ob delectationem ratione modi spontanei oppositi coactioni.

IV. *Peccato Originali omnes homines carnali generatione ab Adamo usq; progeniti, æqualiter sunt infecti nullo individuo excepto; nullo infante; nullo adulto.* Omnes enim 1. peccaverunt Rom. 3. v. 27. c. 5. v. 12. ne *infantibus exceptis* v. 14. Ephes. 2. v. 3. 2. quia omnes moriuntur Rom. d. l. mors autem stipendium peccati c. 6. v. penult.

V. *Peccatum Originale toti humanæ speciei per carnalem generationem productæ inest in hac vita inseparabiliter ceu proprium Quarti modi, ac juxta gradum necessitatis dicendi secundum καθ' αὐτὸ* h. e. *per se.*

Ubi *duo* attendenda 1. πρῶτον δεκτικὸν peccati Originalis, quod est Humana Natura, vel omnis Homo; non quâ Homo, sed Homo *carnali generatione procreatus* uti supra dictum 2. *Necessitas*, quod sit *inseparabile* πάθος adeoq; insit subjecto (hoc est corruptæ humanæ naturæ) certo necessitatis gradu, non quidem *primò*, sic enim esset substantia; sed *secundo* dicendi modo *per se*. *Dupliciter* autem peccatum Originale sic est *inseparabile* 1. *reipsa* in hac vitâ; 2. *cogitatione* (præsupposito semper primo subjecto ut aliquoties monitum) Hinc *peccatum originale reciprocatur cum omnibus carnaliter procreatis.*

VI. *Peccatum Originale est vitium actuosum, & negotiosum* Rom. 7. v. 14. *seq.* Gal. 5. v. 17. Iacob. 1. v. 14. 15. instar *fermenti* 1. Cor. 5. v. 7.

Non

Non tamen *æqualiter* operatur in omnibus: *aliter* enim operatur in non *regenitis*; aliter in *renatis*; ibi dominatur; heîc domatur.

VII. *Peccatum Originale est gravius, & majus quovis actuali tùm extensivè, tum intensivè.* *Extensivè* quidem, quia *latius* patet quovis peccato actuali. *Intensivè*: quia 1. est transgressio totius Decalogi in propriâ cujuslibet nostrûm personâ. *Dupliciter* namq; Lex violatur 1. *actualiter* per malum actum vel peccata *commißionis*, adeoq; per violationem *positivam* 2. *habitualiter* per malum habitum, vel peccata *Omißionis*, adeoq; per violationem *privativam*. Hoc pacto lex violatur propter defectum justiciæ Originalis: quoniam lex ejusmodi exigit integritatem, ut Deum diligamus ex toto corde, ex totâ animâ & ex totis viribus sine ulla dubitatione & contemtu. Ob defectum autem hujus integritatis in nobis, lex violatur à nobis: quo nomine ab eadem arguimur & condemnamur. Uti namq; justicia originalis erat observatio totius Decalogi: Sic injusticia illam subsecuta, est transgressio totius Decalogi. Illo pacto videl. per peccata *commißionis* lex violatur impingendo variis peccatis internis, & externis; tùm in dilectionem Dei, tùm proximi.

2. *Quia totum* Hominem & totum Hominis intoxicat veneni instar. Siquidem corruptio ob labem peccati Origin: ut ut non sit facta

secundum substantiam: attamen attingit ipsam hominis substantiam, ejusq; substantiales partes depravavit.

3. *Quia* atrocitas peccati originalis erat caussa incarnationis Filii Dei: Unde 4. etiam magnitudo hujus peccati ex morte & passione Christi ceu ex speculo lucidissimo conspicitur. Nisi namq; facta fuisset peccati Originalis (licet non solius) expiatio; reconciliatio, & remissio; utiq; omnes à Deo fuissemus abjecti, mortis, & damnationis æternæ rei *Ephes.* 2. *v.* 3.

VIII. *Peccatum Originale est fons & scaturigo omnium actualium. Matth.* 15. *v.* 18. 19. 20. Hinc à B. *Luthero* vocatur die Heuptsünde/ der gifftige Moloch / bey welchem alle gifftige thier jhren gifft holen. Tom. 4. Jenens. f. 315. Hinc *etiam* Matth. 7. v. 17. comparatur *cum malâ arbore.*

IV. Exegesis Antitheseos.

§. 1. Errores in hunc articulum impingentes sunt *Veteres & Recentiores.*

§. 2. *Veteres*, incrustabant I. *Manichæi*, contendentes 1. Peccatum Originis esse creatum à malo quodam Deo; 2. non omnes peccato originali esse obnoxios homines, sed quosdam tantùm scilic. χοϊκȣς, ex materiâ

terreâ

terreâ productos, quibus opponebant ex materiâ Lucis formatos, eosq; à peccati originalis labe eximebant.

3. Peccatum originale nequaquam propagari 4. quosdam homines esse ἀλύτυς, qui nec per Christum à peccatis liberari possent. 5. Peccatum ita separari ab homine post purgationem; ut tanquam *res per se* subsistens in centro terræ suam mansionem habeat. Quod delirium simile est *Iudaico*: dum *Iudæi* fingunt peccata ceu rem quandam peculiarem seorsim separari posse. Hinc peccata sua conjiciunt *super pisces*, pleraq; *fronti* adhærere somniant, quæ lacrumis adspersis, & affrictis delent. inprimis verò *die reconciliationis* peccata subjectum hominis prorsus deserere; *galli* verò visceribus (præsertim albi) adhęrere fingunt.

11. *Pelagiani* à Pelagio Britone circa A. Christi 414. (vel 420.) contendentes: 1. Omne peccatum esse voluntarium 2. infantes carere peccato originali 3. Posteros Adæ infectos quidem esse peccato; sed non mediante propagatione generationis carnalis; sed tantum *exemplo, imitatione, & occasione* 4. Mortem non esse pœnam peccati 5. Per baptismũ nulla remitti parvulis peccata: cum nulla habeant; sed tantùm aperiri illis regnum cælorum. Vid. *Augustin. lib. de hæresib. c. 88. & lib. 2. de Grat. & pecc. Orig. c. 6. 13. 15. &*

19. *contra Pelag. & Cœlestium.* His adnumerantur meritò illi *Pelagiani*, qui circa A. Christi 1000. exorti, negârunt, peccatum Originale esse *culpam*, sed tantum *pœnam*, apud *Lombard. l. 2. Sentent. distinct. 30.*

III. *Armenij* circa An. 700. statuentes 1. nullum reipsa in homines derivari peccatum ab Adamo 2. omnes damnationis æternæ, ob lapsum Adæ, reos esse: nisi facta fuisset liberatio per Christum.

IV. *Scholastici*, definientes peccatum origin. per *reatum* pœnæ pro peccato primi hominis: neq; esse *culpam* aliquo supplicio dignam; apud *Lombard. l. 2. distinct. 30. Vid. Scot. in 4. Sentent. d. 14. Q. 1 Gabriel Biel super indicatum locum Qu. 8. Durand. in 2. dist. 30. Q. 2. 3. Wilhelm. Parisiens. de vit. & pecc. c. 7. Occam in lib. 2. sub finem.*

V. ERRORES RE-novati.

1. *Pontificiorum* statuentium 1. Peccatum originalis nil esse reipsa in nobis manens; sed tantum *inobedientiam* primi parentis nobis imputatam: quem errorem *Pighii & Catharini* ipsemet refutare conatur *Bellarm. l. 5. de amiss. Grat. c. 16.* ipsemet verò eum inculcat *d. l. c. 17. f. 437. C.*

2. Nil habere rationem peccati quod non *sit voluntarium*: ita *Franciscus de Mayro* apud

apud *Chemnit. part.* I. *Exam. p.* 162. *& Bellarm. l.* 1. *d. A. Gr. c.* 1. *fol.* 67. *fac.* 1. D.

3. In parvulis nil reperiri quod habeat rationem peccati. Ita *Ruard. Taper in artic. de pecc. origin.* Quò ſpectat illa ſententia, ſtatuens, in infantibus baptizatis, & adultis renatis nullum remanere peccatum; quæ verba ſunt *Concil. Trident. ſeſſ.* V. *ſed tolli, ac deleri: Becan. Manual. l.* 1. *c.* 19. *Qu.* 1. *p.* 378. *& c.* 16. *p.* 416. *Qu.* 3.

4. Concupiſcentiam non eſſe peccatum propriè ſic dictum; ſed per μεϊάληψιν, quia ex peccato ſit, adeoq; pœna peccati *Bellar. lib.* 6. *d. am. Gr. c.* 15. *f.* 493. vel per *Metony.* quod ſit cauſa peccati, ſi ei obediatur. *Bell. l.* 4. *d. amiſſ. Gr. & ſtat. pecc. c.* 2. *& l.* 5. *c.* 5. 7. 10. *lib.* 6. *c.* 14. *f.* 491. *Becan. in Manual. l.* 1. *c.* 19. *p.* 378. §. 2. 3. 4.

5. Peccatum originale nudam eſſe ςέρησιν, non additâ θέσει ſeu poſitione contrariæ Qualitatis. *Bellar. l.* 5. *de A. G. c.* 15. *c.* 17. *f.* 438. D. *Becan. d. l.* §. 9. *p.* 381.

6. Mortem corporalem, omnesq; miſerias, quibus obnoxii ſumus, eſſe à Naturâ per ſe. *Bell. lib. d. Grat. prim. Hom. cap.* 9. *f.* 39. 40. 41.

7. Peccatum Originale non eſſe privationem totalem, ſed *partialem*, conſiſtentem in privatione juſticiæ in intellectu & voluntate tantùm, non autem quæ fuit in appetitu ſenſitivo. *Becan. d. l.* §. 10.

8. Ani-

8. Animas non propagari per traducem; sed creando in fundi; & infundendo creari. *Bell. l. 4. d. A. Gr. c. 11. fol. 304. C.*

9. Peccatum originale esse minus quovis Veniali *intensivè. Thomas super. 3. sent. Q. 1. art. 4. Id. in 2. dist. 23. Q. 1. art. 2.* ideoq; non mereri æternam pœnam ratione suæ maculæ, aut gravitatis. *Bellarm. lib. 6. d. A. Gr. c. 5. f. 473. cum Stapletonio.*

10. B. Virginem fuisse peccati expertem *Gabriel Biel* in 3. dist. 1. Q. 1. art. 2. *Alexand. ab Ales, & Scotus:* quos hodie sequuntur *Franciscani:* quem errorem confirmavit *Concil. Constant. & post Basiliense A. 1439. sess. 36.* Festum conception. Mariæ promulgavit: Eundem proponit *Concil. Trident. sess. V. in appendice, & defendit Bellarm. l. 4. d. A. Gr. c. 15. fol. 319. seq. & c. 16. f. 327. A. seq. c. 17. f. 336. A. Costerus l. 5. Instit. Christian. &c.* His contradicunt nobiscum *Monachi Dominicani* (uti patet ex historiâ, quæ in *Bornensi Monasterio* accidit A. 1509. ap. *Philip. Melancht. l. 5. Chronic.*) secuti hac in parte *Augustin. Ambros. Bernhard. Thomam, Bonaventuram, Gregorium Ariminens. &c.*

II. *Anabaptistarum.*

Asserentium 1. infantes carere peccato originali 2. Peccatum originale Christi morte sublatum esse ex humana Naturâ: Nostramq;

utramq; de Peccato originali doctrinam esse purum putum figmentum simile *Mathematicorum Eccentricis, & Epicyclis*: uti habent verba *Collogu. Frankenthalens. art. 4. act. 11. A. 1571.*

III. Calvinianorum.

Directè partim; 1. peccatum originale negantium esse propriè peccatum, sed tantum *morbum, & naturalem defectum*, instar *calculi, balbutiei*: quæ propriè non possunt vocari peccata.

2. Peccatum originale esse per *Metonymiam* peccatum: ac

3. Non *mereri mortem & damnationem æternam*. Quæ omnes sunt Hypotheses *Zwinglij lib. d. Baptism. tract. 3. comment. super c. 5. Rom. & in Epist. ad urbanum Regium*. Quicquid prætexant discipuli *Zwinglii*, præsertim *Wiack l. 1. d. pecc. origin. c. 5. c. 9.* Vide Dn. Hutter. *L. c. f. 314.* tergiversationem & prætextus Calvinisticos solidè profligantem, contra *Bullingerum, Bucerum, Rodolphum Gualterum, Sohnium*. Item *Dn. Menzer. in defension. collation. Augustan. Confeßion.* contra *Crocium disp. 5. th. & sequ. usq; ad 15. & in Examine Censuræ Crocianæ disp. 1. thes. 34.* deniq; in *Anti Crocio disput. 6. th. 96.*

Indirectè dum hodierni Sacramentarii materiale quidem Peccati Originis concedunt: negant verò infantes fidelium parentum

tum esse sub reatu peccati, & æternæ damnationis ante baptismum; sed nasci in fœdere. Calvin. l. 4. Instit. §. ult. & 16. §. 24. Bez. in Creophag. f. 167. & part. 2. Respons. ad acta Colloq. Mompelgard. p. 101. seq. Martyr. in comment. super Genesin, & 1. Cor. Hemming in syntagm. ubi negat in infantibus esse formale peccati. Quicquid prætexat Paræus in comment. super Rom. 11. col. 1145. & in Irenic. part. 3. p. 141. 142. Sed frustrà, uti videre est apud Dn. Menzer. in defens. collat. A. C. disp. 5. in Coroll. & in AntiCrocio disp. 6. th. 48. seq. deniq; in Exam. censur. Crocian. disput. 1. th. 37. & apud Dn. Hutterum in refutat. Iren. l. d. f. 64. B.

2. Dum docent, communiter animas infundi; non verô per traducem propagari: negatâ autem animæ propagatione: negabitur propagatio peccati originalis.

Inter caussas Efficientes externas peccati originalis Iusticiam Dei refert Trelcatius lib. 3. Instit. f. 286. sensu per omnia blasphemo & hæretico: confer. p. 295.

IV. Photinianorum.

Negantium 1. dari peccatum Original 2. mortem esse pœnam peccati: vid. Ostorod instit. c. 33. Catechis. Racov. c. 10. Socinum contra Puccium & in prælectionibus vid. refutat. apud Dn. Menzer. in Exeges. art. 2. p. 81. Huc pertinet error Remonstrantium, Iohannis & Pet:

Greyst

Ceysteranorum, in Synod. Dortrechtan. propositus part. 1. p. 329. 331. Item Simon: Episcopii disp. 5. th. 4. ubi statuit mortalitatem & corruptibilitatem fuisse homini primo Naturalem: disp. 9. negat Deum quemq; ob solum peccatum Originale rejicere, aut æternis pœnis destinare contra illud Joh. 3. v. 5.

V. Flacii, & Flacianorum.

Ineptè contendentium; peccatum Originale esse non accidens; sed substantiam; occasionem errori subministrante Colloquio Winariensi habito inter Victorinum Strigeliũ, & Flacium A. 1560. mens. August. vid. act. colloq. in quo Illyricus negare cæpit, peccatum Originis esse Accidens, editis plurimis in lucem scriptis (1. sub titulo Demonstrationes 2. De occasione vitandi erroris 3. De eximiâ utilitate hujus doctrinæ, 4. Noscite teipsum 5. Refutatio quorundam contrarium sentientium) videatur etiã Clavis script. pars secunda. Errorem hunc propugnarunt cum Flacio M. Cyriacus Spangenberg. M. Christophor. Irenæus. scriptis publicitùs editis: quibus sese opposuere Theologi Jenens. Wigandus, Heshusius, Item Dn. Chemn. in L. C. Merlinus, Item Jacobus Andreæ &c. Kirchnerus Simon Musæus, (A. 1572. ante hac Illyrici parastates) Cum verò error hic vel in principia sanioris Philosophiæ impingat: prolixiore refutatione non eget: Vid. Bell. l. 5. ad cap. 4. usq;.